



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 250. An ergo dæmon in congressibus sagarum repræsentare possit  
homines innocentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

1450 §. IV. Judex peccat, si apprehendat aliquem à dæmone denunciatum, v. g. in energumeno, uti rectè Gob. in Exp. T. II. n. 974. Ratio est, quia sic nimis honorat patrem mendacii, cui nulla hìc fides haberi potest, cùm sit maximus hostis hominum, & maximè innocentum. Putat tamen *Less.* cas. 6. Judicem posse ratione talis denunciationis occultè capere informationem, ut majora indicia deprehendat, sed meliùs dicitur planè contemnendum esse, quidquid pater mendacii absque aliis indiciis dicit.

1451 §. V. Sapienter monet omnes Judices in persona *Eugenii Pontificis S. Bern.* l. 2. de Confid. c. 3., ne nimium creduli sint ad omnes denunciations: *Est vitium, inquit, cujus si te immunem sentis, inter omnes, quos novi ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius . . . . . facilitas credulitatis, hac est, cujus callidissima vulpecula Magnorum neminem satis comperi cavisse versutias, inde eis ipsis pro nihilo iræ multa, inde innocentium frequens additio, præjudicia in absentes &c.*

1452 Q. 250. An ergo dæmon in congressibus sagarum representare possit homines innocentes. R. Posse, quidquid contradicant *Binsf. & Delrio* l. 2. q. 12. n. 5., Nam 1. Id probant exempla, quæ *Spe d.* 47. refert. Et ita etiam referunt *Raderus* in virid. SS. p. 1. §. 15. & *Rosignolius* cent. 2. Miro II., quomodo dæmon *S. Silvani* speciem induens iverit ad cubile matronæ, & ideo *S. Silvan.* Episcopatu sit ejectus. 2. Deo permittente ipse *sathanas* transfiguratur se in Angelum lucis, 2. ad *Corinth.* II. v. 14., cur non & in speciem hominis innocentis? 3. Omnes fatentur, quòd dæmon se transformet aliquando in formam lupi, hirci &c., cur non & hominis? Nec  
ullibi

ullibi promittit Deus se non permiffurum, ut affumeret formam innocentis.

*Obji.* 1. Id videri esse contra bonitatem Dei, ut permittat amicos suos sic affligi. *R.* 1. Deus permittit à dæmone affligi *Iobum* aliosque viros SS. Item alios maleficiis incantari, quandoque etiam possideri à dæmone: Item Martyres eo instigante morti tradi, sicque opprimi innocentiam in hac vita, ad majus meritum hominis aut ad alios fines Deo notos. *R.* 2. Saltem poterit Deus permittere, ut homo innocens circa magiam, sed aliorum peccatorum reus ita repræsentetur, sicuti permittit furem à magis repræsentari in speculo vel pelvi aquæ.

*Obji.* 2. Si hoc posset dæmon, faceret sæpius. *R.* N. seq., causa potest esse, 1. quia aliàs facilè patefiet innocentia, nec ampliùs credetur fraudibus. 2. Parum commodi inde habet dæmon, cum ejusmodi innocentes bene parati, cum ingenti merito excipiant mortem.

*Obji.* 3. Ergo quivis poterit dicere se, v. g. non occidisse alterum, sed speciem suà repræsentatam esse à dæmone, qui alterum occiderit. *R.* N. seq., disparitas est, quòd omnes fateantur in conventionibus sagarum contingere plurimas illusiones & transformationes, hinc meritò dubitant viri prudentes de veritate ejusmodi repræsentationum, nihil simile est circa alia crimina.

*Q.* 251. *An possit Iudex procedere ad torturam ex sola fama publica.* *R.* Quid sit fama & infamia, diximus l. 3. p. 2. n. 1191. Præterea hìc n. 786. diximus, quid sit fama de homine & inter homines: Item quid sit infamia juris aut facti, & quandomam fama aut infamia dicatur publica, quibus suppositis, fit

§. I. Fama seu infamia habens ortum à sola parte adver-